



PONTIFICIUM CONSILIO  
DE LEGUM TEXTIBUS

# Communicationes

VOL. XL • N. 1

2008



## **Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo**

### **COETUS STUDII «DE PROCESSIBUS»**

**Sessio X<sup>a</sup>**  
(diebus 26-30 octobris 1970 habita)

Diebus 26-30 octobris 1970, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas de iure processuali.

Sessioni intererant: Exc.mi Aurelius Sabattani et Ioannes Kaldany; Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus Pinto, Iosephus Damizia, Ioannes Barry, Stephanus Kelleher, Iosephus de Castro Nery et Elias Jarawan; Rev.di PP. Christophorus Berutti et Eduardus Regatillo; necnon Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev. Franciscus Voto, a studiis Commissionis.

Secundae et sextae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus Bidagor. Exc.mus Sabattani functus est munere Relatoris et Rev.dus Voto functus est munere actuarii.


In hac Sessione expletæ sunt quaestiones de revisione causarum matrimonialium, scilicet de iure impugnandi matrimonium, de officio iudicium et tribunalis ministrorum, de probationibus, de sententia et appellatio, de processu matrimoniali summario.

Sequentes Consultores inde a praecedenti Sessione votum paraverunt: Kaldany, Lefebvre, Pinto, Barry, Kelleher, de Castro Nery, Jarawan, Berutti, Regatillo.

Exc.mus Sabattani relationem suam supra vota Consultorum scripto apparavit.

**Adunatio I<sup>a</sup>**  
**die 26 octobris 1970 mane habita**

Rev.mus Secretarius omnibus Consultoribus salutem dicit et quaerit num ipsi relationem laborum IX<sup>a</sup> Sessionis approbent quod attinet sive ad integritatem, sive ad veritatem eorum quae referuntur.



Omnes Consultores Relationem approbant.

Deinde Rev.mus Secretarius petit a Rev.mo Relatore ut quaestiones tractandas proponat.

Rev.mus Relator proponit primam quaestionem quae est de iure accusandi matrimonium.

Ante omnia circa ipsam inscriptionem articuli Rev.mus Relator proponit ut dicatur « De iure impugnandi matrimonium », loco « de iure accusandi matrimonium », quia accusatio sapit actionem criminalem.

Propositio omnibus placet.

Deinde Rev.mus Relator proponit suppressionem can. 1970 CIC de necessitate instantiae iudicialis, quia materia huius canonis iam anticipata fuit in can. 1706 iam recognito: « Iudex nullam causam cognoscere potest, nisi petitio... proposita sit etc....».

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

#### *Can. 1971 – De iure impugnandi matrimonium*

Rev.mus Relator querit num limitationes imponi debeat quoad ius impugnandi matrimonium *a) ex parte coniugum acatholicorum, b) ex parte coniugis culpabilis et c) ex parte promotoris iustitiae.*

##### *a) De iure acatholicorum ad impugnandum matrimonium* (cfr. art. 35, § 3 Instr. *Provida Mater*)

Consultores fere unanimiter censem nullam limitationem imponendam esse acatholicis ita ut non amplius illi licentiam S. Congregationis pro Doctrina Fidei petere teneantur ad impugnandum matrimonium. Tantum Rev.mus primus Consultor vellet imponere obligationem petendi licentiam ab Ordinario, ita ut cum opportuna prudentia in hac materia agatur.

Suffragatur placeatne abolere licentiam quam obtinere debent acatholici sive baptizati sive non baptizati: placet omnibus.

Deinde suffragatur admitti debeatne a iure actores infideles in causis de matrimoniis contractis in infidelitate: placet 10; non placet 1.

##### *b) De iure coniugis culpabilis ad impugnandum matrimonium*

Plures Consultores volunt concedere etiam coniugi culpabili, qui fuit causa impedimenti, ius impugnandi matrimonium. Ita Rev.mi secundus, quartus, quintus, sextus, septimus et octavus Consultores.

Alii Consultores exigunt resipiscentiam coniugis culpabilis ut ipse accusare possit matrimonium (Rev.mi Relator et primus Consultor).

Rev.mus nonus Consultor autem vellet ut talis resipiscentia per aliquod signum externum, ex. gr. per elemosinam, manifestaretur.

Rev.mus Secretarius monet Consultores Coetum de matrimonio approbasse canonem (1083 bis) de dolo qui ita sonat: «Qui matrimonium init deceptus dolo, ad obtainendum consensum patrato, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad consortium vitae coniugalnis graviter perturbandum, invalide contrahit».

Consultores illius Coetus tamen votum fecerunt ut hic Coetus peculiari modo consideret num auctor doli, de quo in can. 1083 bis, accusare possit matrimonium.

His dictis, suffragatur placeatne supprimere comma can. 1971 «nisi ipsi fuerint impedimenti causa»: placet n. 6; placet iuxta modum n. 5.

*Modi:*

1) exigatur resipiscentia eorum qui fuerunt causa directa et dolosa nullitatis: placet n. 3; non placet n. 7; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

2) loco commatis suppressi ponatur haec clausula: «salvo casu de quo in can. 1083 bis»: placet n. 5; non placet n. 6.

3) ponatur in canone haec clausula: «exclusis qui notorie fuerint causa directa et dolosa nullitatis, nisi dederint resipiscentiae signa»: placet n. 4; non placet n. 7.

c) *De iure promotoris iustitiae ad impugnandum matrimonium*

Rev.mus quartus Consultor latissimam formulam proponit: «potest accusare matrimonium quandocumque id bonum animarum postulare existimet».

Sed Rev.mus nonus Consultor animadvertisit normam propositam a Rev.mo quarto Consultore esse periculosam. Promotor enim posset petere declarationem nullitatis, invitis coniugibus, etiam quando talis declaratio ad bonum publicum non intersit. Et Rev.mus Relator addit quod reapse, sub specie boni animarum, abusus innumeri haberi possent.

Rev.mus octavus Consultor proponit hanc formulam: «Promotor iustitiae, quoties coniunctio iure invalida, publicum scandalum aut damnum gignat».

Rev.mus Relator censet quod minus insistendum sit supra scandalum. Promotor iustitiae, dicit Rev.mus Relator, impugnare debet matrimonium nullum ob praecedens ligamen, etiamsi in loco res non innotescat. Cavendum est tamen ne a promotore iustitiae impugnentur matrimonia quae possunt convalidari: hoc esset contra bonum publicum.

Ideo proponit hanc formulam: «(Habilis est ad impugnandum matrimonium) promotor iustitiae, in tuitionem publici boni, quando nullitas fundatur in facto de se publico, si matrimonium convalidari nequeat aut non expediat».

Placet n. 8; non placet n. 2; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

**Adunatio II<sup>a</sup>**  
**die 27 octobris 1970 mane habita**

Huic conventui praeest Em.mus Card. Praeses.

*Can. 1971, § 2*

Rev.mus Relator proponit ut § 2 maneat prouti est in CIC, mutato tantum «accusandi» in «impugnandi».

Rev.mus quartus Consultor censet § 2 supprimi posse quia in § 1 dicitur expresse *quinam* impugnare possint matrimonium et ideo *indirecte* iam dicitur *quinam non possint* impugnare matrimonium.

Rev.mus secundus Consultor vero censet § 2 retineri debere quia non tantum declarat a quibus matrimonium impugnare non possit, sed positive declarat quid ceteri facere possint, denuntiare scilicet nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae.

Em.mus Praeses item censet § 2 retineri posse et hanc formulam proponit: «Reliqui omnes, etiam consanguinei, possunt tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiare».

Formula omnibus placet.

*Can. 1971 bis*

Rev.mus Relator, propositionem Rev.mi octavi Consultoris accipiens, censet hic aliquid dicendum esse de prosecutione causae nullitatis post mortem coniugis. Instructio *Provida Mater* hanc quaestionem tractat sub Tit. de iuris remedio contra sententiam (art. 222). Rev.mus Relator illam formulam Instructionis resumens ac expoliens, hunc canonem proponit:

«§ 1. Si ex authentico documento constet, pendente causa nullitatis, mortuum esse alterutrum coniugem, lis interrumpitur et acta reponantur in archivo.

§ 2. Attamen alter coniux, Promotor Iustitiae intra limites sui muneris, vel alius interesse habens, possunt instantiam non peremptam reassu-

mere, si probent graves rationes pro ipsis adesse ad causam nullitatis continuandam».

Rev.mus nonus Consultor censet quod, in casu mortis alterutrius coniugis, lis potius *finitur*, quia deficit pars in iudicio et tantum per exceptionem admitti potest quod denuo ipsa causa instauretur.

Rev.mus Relator haeret in sua sententia quod scilicet causa non perimitur, secus non iam de prosecutione causae ageretur, sed de nova omnino causa instauranda.

Rev.mus Secretarius monet quod praesens quaestio solutionem obtinere debet non ex criteriis doctrinalibus sed ex criteriis practicis. Hoc sensu formula proposita a Rev.mo Relatore videtur acceptari posse.

Suffragatur placeatne formula § 1: placet omnibus.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut § 2, proposita a Rev.mo Relatore, supprimatur et remittatur ad ius particulare. Casus enim prosecutio-  
nis causae, prout describitur in hac paragrapho, numquam accidit in re-  
gionibus anglosaxoniciis, et ideo non videtur necessarium ut de ipso pro-  
videatur in iure communi.

Rev.mus septimus Consultor censet non requiri «graves» rationes ad causam continuandam. Sufficit ut adsit iusta causa.

Suffragatur placeatne § 2 proposita a Rev.mo Relatore: placet n. 10;  
non placet n. 1.

Em.mus Praeses proponit ut formula ita corrigatur: «Coniux autem superstes, promotor iustitiae intra limites sui muneric, vel alias interesse habens, possunt instantiam non peremptam reassumere gravibus tamen prolatis ad causam nullitatis continuandam argumentis».

Suffragatur haec formula: placet n. 9; non placet n. 2.

#### *Can. 1972 – De causa nullitatis quae incidenter oritur*

Rev.mus Relator proponit ut canon maneat prout est in CIC, et addatur tamen alia paraphrasis his verbis:

«§ 2. Ad huiusmodi impugnationem incidentalem habiles sunt partes in causa principali, coniux superstes et promotor iustitiae, si probent solidum nexum intercedere inter utramque quaestionem et notabile interesse obvenire ex declarata nullitate matrimonii de quo agitur».

Rev.mus tertius Consultor autem proponit ut etiam matrimonium, quod utroque coniuge vivente non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis impugnare possit si adsit causa proportionata.

Quoniam plures Consultores concordant cum Rev.mo tertio Consultore, Rev.mus Relator ita redigit can. 1972: «Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi quaestio de validitate matrimonii praejudicialis habeatur ad aliam connexam solvendam controversiam».

Placet n. 9; non placet n. 2.

*Can. 1973*

Transfertur ad processum specialem de causis super rato.

*ART. IV – De officio iudicis et tribunalis ministrorum*

Rev.mus Relator proponit hunc Art. IV qui comprehendat stadium causae introductae et libelli acceptationem.

Consultores concordant cum Rev.mus Relatore.

a) *De admissione libelli a solo praeside*

Rev.mus Relator animadvertisit quod frequenter introductio causae nullitatis matrimonii moras patitur, quia iudices saepe non degunt apud sedem tribunalis. Ideo utile esset quod praeses, etiam solus, posset admittere libellum. Reiectio vero libelli, cum agatur de re gravi quae involvit possibile nocumentum difficulter tollendum, debet reservari collegio.

Canon ita redigi posset:

«Libellus, si agatur de re sat evidenti, admitti potest a praeside collegii; reiectio vero libelli non potest decerni nisi a collegio, excepto casu de quo in fine can. 1967 § 1».

Em.mus Praeses censet quod si praeses tribunalis potest admittere libellum, ipsi quoque tribuenda est facultas illum reiciendi. Cautiones tamen ponendae sunt ne abusus habeantur, illae scilicet cautiones quae habentur in can. 1709 ut nempe praeses decreto reiectionis adiciat causas ipsius reiectionis. Praeterea admitti posset recursus ad collegium contra decretum praesidis, et inde, contra decretum reiectionis huius collegii, admitti posset recursus ad tribunal appellacionis.

Propositio Em.mi Praesidis omnibus placet, ad quam tamen non can. 1974 sed can. 1709 accommodandus est.

Committitur ergo Rev.mo Relatore ut corrigat can. 1709.

**Adunatio III<sup>a</sup>  
die 27 octobris 1970 vespere habita**

Rev.mus Relator praebet Consultoribus formulam can. 1709 denuo redactam ad sensum propositionis ab Em.mo Praeside in conventu matutino factae:

«Can. 1709 – § 1. Iudex unicus vel praeses tribunalis collegialis, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam in iudicio non deesse, debet suo decreto quamprimum, et numquam ultra mensem libellum aut admittere aut reicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.

§ 2. Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

§ 3. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere vel ad collegium, si libellus reiectus fuerit a praeside, vel, in casu reiectionis a iudice unico aut a collegio, ad tribunal appellationis; a quo, audita parte et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definenda est».

Formula omnibus placet.

b) *De statuenda ex officio formulatione dubii*

Rev.mus Relator proponit ut statuatur ex officio formulatio dubii, quia in iure vigenti tempus teritur infructuose in litis contestatione et partes, quae longe habitant, conspiciunt inutile suum accessum ad tribunal ad rem mere technicam, quae absolvitur paucis momentis.

Formulam canonis ita proponit:

«Can. 1974 – § 1. Libello acceptato, praeses vel ponens, nisi alterutra pars expressam litis contestationem petat, intra decendum formulam dubii vel dubiorum decreto suo statuit ex officio et partibus notificat.

§ 2. Formula dubii non tantum quaerat an constet de nullitate matrimonii in casu, sed determinare debet quo capite, vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur.

§ 3. Post decem dies a notificatione decreti, si partes nihil opposuerint, praeses vel ponens novo decreto causae instructionem disponit».

Formula omnibus placet. Tantum Rev.mus quartus Consultor censet § 3 esse inutilem quia inducit aliquam moram in processu; saepe enim partes sunt praesentes et ideo cito transiri posset ad causae instructionem.

Rev.mi Relator et Secretarius respondent spatium decem dierum de quo in § 3 positum esse ad defensionem iurium partium, quae forte aliquid opponendum habeant contra formulam dubii ex officio factam. Quod si, in casu concreto, partes praesentes sint, nihil vetat quin praeses instructionem causae disponat statim ac partes formulam dubii acceptaverint.

c) *De iuribus defensoris vinculi et advocati*

Rev.mus nonus Consultor animadvertisit systema Codicis esse totum in favorem vinculi; unde patronus partis et tutor vinculi collocati sunt in evi-denti inaequalitate processuali. Ad inaequalitatem tollendam Consultor proponit novam figuram advocati qui sit membrum Tribunalis, quiue defendat omnes actores. Huic advocato «publico» tribuenda essent omnia iura quae competunt defensori vinculi, dum advocatis «privatis» relinquentiae essent tantum facultates quibus nunc praediti sunt.

At Rev.mus Relator iniuriosum censet executioni iustitiae quod habetur haec nova inaequalitas inter duas classes advocatorum. Solutio quam proponit Rev.mus Relator sequens est: facultates, quas can. 1968-1969 CIC tribuunt defensori vinculi, concedantur quoque advocato, sublata, pro utroque, illa nimia potestate de qua in can. 1969, n. 4, et non memoratis iuribus quae competunt partibus in quovis processu contentiosos.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Can. 1975 bis: Defensori vinculi et insimul patronis partium ius est:

1° Examini partium, testium et peritorum' adesse, salvo praescripto can. 1777.

2° Acta processus, etsi nondum publicata, invisere et documenta a partibus producta recognoscere».

Rev.mus nonus Consultor animadvertisit quod defensor vinculi habet non tantum ius sed obligationem haec faciendi. Praeterea forsitan inopportuna est salvatio can. 1777, quod nempe iudex vetare possit assistantiam advocatorum si «propter rerum et personarum adjuncta aestimaverit secreto esse procedendum». Melius esset si etiam in tali casu advocati assistere possent, cum obligatione tamen servandi secretum.

Rev.mus Relator ita respondit: a) circa obligationem defensoris vinculi dicetur quando sermo erit de officio defensoris vinculi; b) circa salvationem can. 1777, haec videtur servanda, quia aliquando sive ratione materiae sive ratione personae secreto procedendum est.

Suffragatur formula Rev.mi Relatoris quae omnibus placet.

Rev.mus nonus Consultor servare vellet normam can. 1969 n. 2 CIC et art. 70 n. 2 Instr. *Provida Mater* in quibus defensori vinculi datur ius «de omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit».

Sed Rev.mus Relator respondit talem normam non proficere aequalitati quam tueri intendimus; defensori vinculi non debet dari amplior facultas quam quae in can. 1862 § 1 omnibus partibus datur.

#### *ART. V – De probationibus*

Circa inscriptionem Art. V Rev.mus Relator proponit ut recipiatur Cod. Orient. ut nempe ponatur unus tantum articulus «de probationibus», loco ponendi duos articulos «de testibus» et «de inspectione corporali».

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Deinde Rev.mus Relator proponit ut can. 1974 CIC supprimatur, quia eius materia continetur in novo canone 1767. Consultores concordant.

#### *Can. 1975 – De testimonio septimae manus*

Rev.mus Relator censet tollendum esse, saltem quoad nomen, hoc vestigium antiqui iuris germanici. Salvari tamen debet substantia «argumenti moralis» quod vocant. En formula Rev.mi Relatoris: «In causis nullitatis ob impotentiam, si probatio aliunde non habeatur saltem plena, et insistendum sit in argumento morali, depositiones partium vallari debent tum testibus, etiam ex officio inductis, circa earum credibilitatem, tum aliis indiciis et adminiculis».

Rev.mus nonus Consultor proponit ut talis probatio ex argumento morali admittatur non tantum in causis nullitatis ob impotentiam, sed in omnibus omnino causis nullitatis matrimonii, si probationes plenae aliunde non habeantur (placet omnibus).

Rev.mus octavus Consultor proponit ut supprimatur verbum «saltem (plena)» (placet omnibus).

Rev.mus quartus Consultor proponit ut omittantur verba «et insistendum sit in argumento morali» (placet omnibus).

Suffragatur placeatne haec formula: «In causis nullitatis, si probatio aliunde non habeatur plena, depositiones partium vallari debent tum testibus, etiam ex officio... etc. ... ut supra».

Placet n. 9; se abstinet a sententia ferenda n. 1 (Rev.mus secundus Consultor).

*Can. 1975 bis – De quaesitis mulieri non necessario a medico proponendis*

Rev.mus Relator censet normam datam a S. C. S. Officii, de quaesitis mulieri a medico proponendis, supprimi vel proponi posse in forma facultativa, quia in praxi difficulter ad effectum perduci potest et saepe multam utilitatem non affert. Canon ita redigi posset:

«§ 1. Quando mulier interrogari debet circa adjuncta impotentiae, ius habet petendi quod quaesita eidem, potius quam a iudice, proponantur a medico, adstante semper iudice.

§ 2. Quando citatur mulier ad huiusmodi depositionem, insimul edocatur de facultate eidem competenti».

Rev.mus nonus Consultor dare vellet hanc facultatem iudici potius quam mulieri. Mens enim legis est quod si iudex impar sit ad talia quaesita ponenda utatur ministerio alicuius medici.

Consultores non consentiunt cum Rev.mo nono Consultore et praeterea censem § 2 omitti posse.

Suffragatur placeatne novus canon, suppressa § 2: placet omnibus.

**Adunatio IV<sup>a</sup>**  
**die 28 octobris 1970 mane habita**

*Can. 1976 – De necessitate inspectionis corporalis*

a) Rev.mus nonus Consultor proponit ut canon 1976 prout est in CIC compleatur per aliam paragraphum qua addantur alii casus in quibus recursus fieri debet vel potest ad peritos (placet omnibus).

b) Rev.mus octavus Consultor proponit ut enumerentur adjuncta in quibus inspectio inutilis est, ex Decr. S. Officii, 12 iunii 1942. At Rev.mus Relator notat quod enumeratio illa est exemplificativa, ideo non decet legem, in qua iam dicitur: «nisi ex adjunctis inutilis evidenter appareat».

Rev.mus nonus Consultor censet quod haec clausula Codicis ita compleri posset: «nisi ex adjunctis inutilis evidenter appareat, *ad normam Decr. S. Officii diei 12 iunii 1942*».

Instat Rev.mus Relator et proponit ut penitus tollatur etiam clausula «nisi ex adjunctis inutilis evidenter appareat», quia § 1 restringi debet tantum ad causas impotentiae, non autem ad causas inconsummationis, de quibus proprio loco agetur.

c) Rev.mus tertius Consultor vult mutare normam Codicis secundum quam semper in causis impotentiae requiritur inspectio corporis. Melius esset dicere: «si necessarium sit fiat inspectio corporis».

Rev.mus Secretarius concordat cum Rev.mo tertio Consultore.

Rev.mus secundus Consultor autem quaerit cui competat decernere circa hanc necessitatem.

Rev.mus quintus Consultor quaerit ut talis probatio inspectionis corporalis reprobetur utpote dedecora, quae non decet tribunal Ecclesiae; hoc modo nimis extollitur factum corporale, dum e contra attendi debent elementa spiritualia, defectus scilicet communionis coniugum.

Rev.mus Relator quaerit placeatne haec formula:

«Can. 1976 – § 1. In causis impotentiae requiritur inspectio corporis utriusque vel alterutrius coniugis per peritos facienda.

§ 2. In omnibus causis defectus consensus de quibus in can. 1081 bis, 1081 ter et in aliis causis, quoties iudex id utile censeat, relatio unius saltem periti exquiratur ».

Placet n. 10; non placet n. 1.

Deinde Rev.mus Relator proponit canonem ad edicendum quinam periti esse nequeant (cfr. cann. 1977, 1978 CIC): «Firmo praescripto cann. 1798-1799, ad munus periti ne admittantur qui coniuges privatum inspexerint circa factum, cui innititur petitio declarationis nullitatis: ii tamen uti testes audiri debent».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in canone dicatur: «... ad munus periti *ordinarie* ne vocentur etc... ». Aliquando enim desunt alii periti qui vocari possint.

Rev.mus septimus Consultor concordat cum Rev.mo secundo Consultore ut hoc vetitum emolliatur, quia non raro periti aperte dicunt coram tribunali quod privatum coniugibus non dixerunt vel incomplete dixerunt.

Rev.mi tertius et quartus Consultores proponunt ut hic canon penitus supprimatur. Concordat Rev.mus nonus Consultor, qui censet rem relinqui posse iuri particulari.

Suffragatur placeatne supprimere hunc canonem: placet n. 6; non placet n. 4; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

#### *Can. 1979 – Designatio peritorum*

Consultores examinant revisos canones 1797-1808 in quibus multa et optima habentur de designatione et de qualitate peritorum, proinde concludunt can. 1979 CIC ad minimum reduci posse. Rev.mi Secretarius et Relator proponunt hanc formulam:

«Can. 1979 – § 1. De adsistentia matronae ad medicalem inspectio-  
nem mulieris ius particulare statuat iuxta consuetudines loci.

§ 2. Peritus sollicitus sit de identitate personae determinanda per do-  
cumenta, in relatione recensenda, vel alio idoneo modo».

Suffragatur placeatne § 1: placet omnibus.

Suffragatur placeatne § 2: placet n. 10; non placet n. 1.

Deinde Rev.mus Relator animadvertisit can. 1980 CIC, de inspectioni-  
bus singulariter perficiendis, supprimi posse, quia iam providet can. 1805  
(novus).

**Adunatio V<sup>a</sup>**  
**die 28 octobris 1970 vespera habita**

*Can. 1981 – De interrogatione periti*

Rev.mus Relator dicit recognitionem iudicialem relationis periti, de  
qua in can. 1981 CIC, esse frequenter inutilem. Disciplina proinde muta-  
ri debet. Rev.mus Relator proponit hanc novam formulam:

«Quando iudex certus est de authenticitate relationis peritalis, non re-  
quiritur eiusdem relationis recognitio in iudicio ex parte periti, nisi expli-  
cari et compleri debeat, et hoc utiliter fieri nequeat per suppletoriam ei-  
udem periti declarationem».

Rev.mi secundus et octavus Consultores vellent formulam negativam  
hoc modo: «Quando iudex *non* est certus de authenticitate relationis pe-  
ritalis, potest convocare peritum etc...».

Rev.mus nonus Consultor censem convocationem periti esse necessa-  
riam quando explicare vel completere debet suam relationem; proinde ca-  
non ita redigi posset: «Orale examen periti tunc tantum requiritur, cum  
eius relatio explicanda vel complenda sit».

Rev.mus quartus Consultor censem canonem hunc esse prorsus inuti-  
lem et ideo suppressendum.

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi quarti Consultoris: placet  
n. 2; non placet n. 8.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Can. 1981. Si iudex certus est de authenticitate relationis peritalis,  
iudiciale examen periti non requiritur, nisi relatio explicanda vel com-  
plenda sit et hoc utiliter fieri nequeat per suppletoriam eiusdem periti  
scriptam declarationem».

Placet n. 10; non placet n. 1.

Rev.mus Relator proponit suppressionem can. 1982 CIC quia eius materia iam anticipata fuit in canonibus praecedentibus. Propositio placet omnibus.

#### *ART. VI – De sententia et appellatione*

Rev.mus Relator proponit ut supprimantur cann. 1983-1984-1985 CIC sequentibus de causis:

*a)* materia can. 1983 iam habetur in novo can. 1861 ubi admittuntur novae probationes, post conclusionem in causa, pro causis quae non transiunt in rem iudicatam.

*b)* can. 1984, de iure defensoris vinculi ut ultimus audiatur, redolet privilegium. Sufficit can. 1865 § 3 (revisus), qui statuit vinculi defensorem et promotorem iustitiae ius habere «iterum replicandi partium responsionibus».

*c)* de can. 1985 agendum erit in alio loco, scilicet in sectione de causis dispensationis super rato.

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore circa suppressionem cann. 1983-1985.

Rev.mus Relator hic introducere vellet aliquam normam qua edicatur publicationem processus, conclusionem in causa, discussionem causae et pronuntiationem sententiae fieri debere iuxta ordinarias normas processus contentiosi (cann. 1858-1878).

Sed alii Consultores praeferunt ut talis norma, magis generica et amplior, habeatur in fine processus matrimonialis. Iuxta Rev.mum nonum Consultorem formula posset ita concipi: «In reliquis serventur normae de processu contentioso».

#### *Can. 1983: de transitu a causa nullitatis ad causam dispensationis super rato*

Rev.mus Relator animadvertisit hanc possibilitatem transitus a causa nullitatis ad causam dispensationis super rato magnum momentum practicum habere. Relativa autem norma in praesenti legislatione est nimis simplex in CIC (can. 1963 § 2) et nimis implexa in Instr. *Provida Mater* (art. 206). Oportet media via progredi, vitando confusionem et immixtionem inter tribunal et Ordinarium, ex consideratione quod dispensatio est modus practicus solvendi casum iam competentiae tribunalis commissum.

Rev.mus Relator proponit hanc novam formulam:

«§ 1. Quoties in instructione causae nullitatis matrimonii dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tribunal potest, suspensa de consensu partium causa nullitatis, instructionem complere pro dispensatione super rato, ac tandem acta transmittere ad S. C. de Sacramentis una cum petitione dispensationis ab alterutro vel utroque coniuge et cum voto tribunalis.

§ 2. Dispensatio, quae exinde a Romano Pontifice data fuerit, intelligitur concessa si et quatenus illa opus sit».

Circa § 1 fit quaestio audiri debeatne Ordinarius loci antequam acta transmittantur ad S. C. de Sacramentis. Cum autem aliquis Consultor notitiam det de proxima nova Instructione S. Congregationis circa hanc materiam, quaestio remittitur ad aliud tempus, quando nova Instructio publici iuris erit.

Circa § 2 Rev.mus Relator explicationem dat appellando ad sententiam Benedicti XIV quod aliquando dispensatio super rato aequivalet declarationi nullitatis: «est quaedam administratio iustitiae, more Principis facta...».

Rev.mus Secretarius censet § 2 supprimi posse quia est canon mere doctrinalis.

Suffragatur placeatne § 1: omnibus placet.

Suffragatur placeatne supprimere § 2: placet n. 2; non placet n. 7; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

**Adunatio VI<sup>a</sup>  
die 29 octobris 1970 mane habita**

Huic conventui praeest Em.mus Cardinalis Praeses.

*Can. 1986 – De appellatione*

Can. 1986 iam novam redactionem habuit a nostro Coetu inde a 1<sup>a</sup> Sessione mense maio 1966; deinde res iterum discussa et confirmata est in Sessione 8<sup>a</sup> mense octobri 1969. Ideo Rev.mus Relator proponit ut hic ponatur, sine ulla mutatione, ille textus canonis qui ita legitur:

«§ 1. A prima sententia, matrimonii nullitatem declarante, vinculi defensor ad superius Tribunal provocare tenetur intra legitimum tempus: quod si facere negligat, auctoritate praesidis compellendus est.

§ 2. Apud Tribunal secundae instantiae vinculi defensor suas animadversiones exhibeat ut dicat utrum contra decisionem latam in primo gradu aliquid opponendum habeat, necne.

§ 3. Perpensis animadversionibus defensoris vinculi, et visa sententia, collegium suo decreto vel decisionem primi gradus ratam habet, vel ad ordinarium examen secundi gradus causam admittit. In priori casu, nemine recurrente, ius est coniugibus, qui alioquin non impediantur, decem diebus a decreti denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahendi.

§ 4. Adversus decretum collegii, sententiam primi gradus ratam habens, defensor vinculi vel pars, quae se gravatam putet, ius habent recurriendi ad superius Tribunal, sed tantummodo prolati novis et gravibus argumentis, quae etiam praesto sint. Huiusmodi argumenta debent exhiberi Tribunalis tertii gradus intra mensem ab interpositione recursus.

§ 5. Defensor vinculi tertii gradus potest a recursu recedere: quo in casu Tribunal declarat litem finitam. Si autem pars recurrit, Tribunal, perpensis argumentis allatis, vel recursum reicit per decretum, vel causam admittit ad examen tertii gradus ».

Rev.mi quartus et quintus Consultores petunt ut talis formula denuo examini subiciatur, quia interim a S. Sede concessae sunt aliquibus Conferentiis episcopalibus facultates ut dispensare possint defensorem vinculi ab obligatione appellandi. Merito ergo Coetus noster perpendere potest ac debet num talis facultas introduci possit in iure communi.

Em.mus Praeses censet non esse necessariam novam discussionem in praesenti condicione, quia illae facultates datae sunt ad experimentum. Ideo si quid novi in lege inducendum erit, id apte decerni poterit postquam exitus illius experimenti notus sit. Ceterum finis intentus, de nimia duratione processus contrahenda, aptius obtineri poterit vi huius novi canonis 1986 quam vi illarum facultatum Conferentiis episcopalibus concessarum.

Alii Consultores concordant cum Em.mo Praeside.

Rev.mus Relator notat quod can. 1987 CIC supprimi debet quia eius materia inclusa invenitur in praecedenti canone (§ 3).

#### *Can. 1988 – De notificationibus faciendis*

Rev.mus Relator, Rev.mum nonum Consultorem partim secutus, hanc novam formulam proponit:

«Can. 1988. Quando sententia nullitatis executioni mandatur, ad normam can. 1986 § 3, Praeses tribunalis debet eandem decisionem noti-

ficare Ordinario loci in quo matrimonium celebratum est. Is autem curare tenetur ut quantocius de decreta nullitate matrimonii et de vetitis forte statutis in libris tum matrimoniorum tum baptizatorum mentio fiat».

Rev.mus octavus Consultor vellet ut executio sententiae committetur Ordinario tribunalis I<sup>re</sup> instantiae. Sed omnes alii Consultores praefrerunt Ordinarium loci in quo matrimonium celebratum est, quia haec videtur facilior via.

Formula canon omnibus placet.

Rev.mus Relator deinde proponit suppressionem can. 1989 CIC, cum iam canones 1903 et 1907 sexies idem referant. Melius enim est quod eadem norma bis non ponatur in Codice, ne detur ansa diversis interpretationibus.

#### ART. VII – *De processu matrimoniali summario*

Rev.mus Relator memorat ea quae in VIII Sessione huius coetus, diebus 20-25 octobris 1969 habita, decreta sunt de extendendo ritu summario:

- a) ad omnes causas quae procedunt ex impedimentis dirimentibus;
- b) ad omnes causas quae procedunt ex defectu formae;
- c) ad causas quae procedunt ex defectu mandati in matrimoniis per procuratorem.

Ad rem Rev.mus Relator (qui absens fuit ab illa Sessione 8<sup>a</sup>) notat se habere difficultates non paucas circa talem extensionem ritus summarii ad novos illos casus, quia existentia plurium illorum casuum non implicat ordinarie existentiam alicuius publici documenti ex quo ipsi casus certe et authentice probari possint; et tunc, ad quid extensio illa?

Etiam Rev.mus nonus Consultor easdem difficultates habet et praeterea ille timet ne, seposito subsidio viae iudicariae, abusus augeantur.

Quaestio, tamen, de iudicio Em.mi Praesidis, non videtur in praesenti stadio profundiori examini subicienda, quia Consultores iam suam sententiam dixerunt circa opportunitatem extendendi processum summarium ad alias casus et non est dubitandum quin illi difficultates pependerint. Proinde standum est in decisio, etsi in praxi pauci erunt casus qui resolvi poterunt ritu summario ob inexistentiam documenti certi et authentici. Contra periculum abusuum valet dispositio can. 1991, quae defensori vinculi dat facultatem provocandi ad iudicem secundae instantiae adversus declarationem nullitatis quando «prudenter existimaverit

impedimenta de quibus in can. 1990 non esse certa aut dispensationem super eisdem probabiliter intercessisse».

Res cum ita sit, cann. 1990-1992 pro nunc ita rediguntur:

*Can. 1990*

Cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de existentia impedimenti dirimentis, simulque pari certitudine apparuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus in iure recensitis, poterit Ordinarius, citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi, matrimonii nullitatem declarare.

*Can. 1990 bis*

Item sub iisdem clausulis et eodem modo de quibus in can. 1990, Ordinarius matrimonii nullitatem declarare poterit, quando causa mota sit ex defectu formae canonicae vel ex defectu mandati procuratoris.

*Can. 1991*

Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimat impedita de quibus in cann. 1990 et 1990 bis non esse certa aut dispensationem super eisdem probabiliter intercessisse, provocare tenetur ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu speciali.

*Can. 1992*

Iudex alterius instantiae, cum solo interventu defensoris vinculi, decernet eodem modo de quo in can. 1990 utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.

Ultimo tandem ponenda est norma generalis qua fiat remissio ad canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso circa ea quae non continentur in praesenti iudicio speciali de causis matrimonialibus.

Canon ita redigitur:

«*Can. 1992 bis.* Salvis praescriptis canonum huius tituli, in processibus matrimonialibus applicandi sunt, nisi rei natura obstet, cann. 1552-1705 et 1706-1924, servatis specialibus normis de causis quae ad bonum publicum spectant».

Deinde Consultores in duobus sequentibus adunationibus (diebus 29 octobris vespere et 30 octobris mane habitis) examinaverunt schema canonum «de iudicio criminali» ab alio Coetu redactum et aliquas suggestiones fecerunt quae, tamquam vota, ad alium Coetum transmissae sunt.

Illius Coetus erit tales suggestiones perpendere et textus canonum, si et quatenus opus sit, emendare.

**Appendix**  
**SCHEMA CANONUM**

*Can. 1709*

§ 1. Iudex unicus vel praeses tribunalis collegialis, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam in iudicio non deesse, debet suo decreto quamprimum, et numquam ultra mensem libellum aut admittere aut reicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.

§ 2. Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

§ 3. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere vel ad collegium, si libellus reiectus fuerit a praeside, vel, in casu reiectionis a iudice unico aut a collegio, ad tribunal appellationis; a quo, audita parte et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.

ART. III – *De iure impugnandi matrimonium*

*Can. 1971*

Habiles sunt ad matrimonium impugnandum:

1° coniuges;

2° promotor iustitiae, in tuitionem publici boni, quando nullitas fundatur in facto de se publico, si matrimonium convalidari nequeat aut non expediat.

*Can. 1971 bis*

§ 1. Si ex authentico documento constet, pendente causa nullitatis, mortuum esse alterutrum coniugem, lis interrumpitur et acta reponantur in archivo.

§ 2. Coniux autem superstes, promotor iustitiae intra limites sui muneric, vel alius interesse habens, possunt instantiam non peremptam reassumere gravibus tamen prolatis ad causam nullitatis continuandam argumentis.

*Can. 1972*

Matrimonium quod utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi quaestio de validitate praeiudicialis habeatur ad aliam connexam solvendam controversiam.

**ART. IV – *De officio iudicium et tribunalis ministrorum***

*Can. 1974*

§ 1. Libello acceptato praeses vel ponens, nisi alterutra pars expressam litis contestationem petat, intra decendum formulam dubii vel du- biorum decreto suo statuit ex officio et partibus notificat.

§ 2. Formula dubii non tantum quaerat an constet de nullitate matri- monii in casu, sed determinare debet quo capite, vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur.

§ 3. Post decem dies a notificatione decreti, si partes nihil opposue- rint, praeses vel ponens novo decreto causae instructionem disponit.

*Can. 1974 bis*

Defensori vinculi et insimul patronis partium ius est:

1° Examini partium, testium et peritorum adesse, salvo praescripto can. 1777.

2° Acta processus, etsi nondum publicata, invisere et documenta a partibus producta recognoscere.

**ART. V – *De probationibus***

*Can. 1975*

In causis nullitatis, si probatio aliunde non habeatur plena, depositio- nes partium vallari debent tum testibus, etiam ex officio inductis, circa ea- rum credibilitatem, tum aliis indiciis et adminiculis.

*Can. 1975 bis*

Quando mulier interrogari debet circa adiuncta impotentiae, ius ha- bet petendi quod quae sita eidem, potius quam a iudice, proponantur a medico, adstante semper iudice.

*Can. 1976*

§ 1. In causis impotentiae requiritur inspectio corporis utriusque vel alterutrius coniugis per peritos facienda.

§ 2. In omnibus causis defectus consensus de quibus in cann. 1081bis-1081ter et in aliis causis, quoties iudex id utile censeat, relatio unius saltem periti exquiratur.

*Can. 1979*

§ 1. De adsistentia matronae ad medicalem inspectionem mulieris ius particulare statuat iuxta consuetudines loci.

§ 2. Peritus sollicitus sit de identitate personae determinanda per documenta, in relatione recensenda, vel alio idoneo modo.

*Can. 1981*

Si iudex certus est de authenticitate relationis peritalis, iudiciale examen periti non requiritur, nisi relatio explicanda vel complenda sit et hoc utiliter fieri nequeat per suppletoriam eiusdem periti scriptam declarationem.

**ART. VI – *De sententia et appellatione****Can. 1983*

§ 1. Quoties in instructione causae nullitatis matrimonii dubium valde probabile emerget de non secuta matrimonii consummatione, tribunal potest, suspensa de consensu partium causa nullitatis, instructionem completere pro dispensatione super rato, ac tandem acta transmittere ad S. C. de Sacramentis una cum petitione dispensationis ab alterutro vel utroque coniuge et cum voto tribunalis.

§ 2. Dispensatio, quae exinde a Romano Pontifice data fuerit, intelligitur concessa si et quatenus illa opus sit.

*Can. 1986*

§ 1. A prima sententia, matrimonii nullitatem declarante, vinculi defensor ad superioris tribunal provocare tenetur intra legitimum tempus: quod si facere negligat, auctoritate praesidis compellendus est.

§ 2. Apud tribunal secundae instantiae vinculi defensor suas animadversiones exhibeat ut dicat utrum contra decisionem latam in primo gradu aliquid opponendum habeat necne.

§ 3. Perpensis animadversionibus defensoris vinculi, et visa sententia, collegium suo decreto vel decisionem primi gradus ratam habet, vel ad ordinarium examen secondi gradus causam admittit. In priori casu, nemine recurrente, ius est coniugibus, qui alioquin non impedianter, decem diebus a decreti denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahendi.

§ 4. Adversus decretum collegii, sententiam primi gradus ratam habens, defensor vinculi vel pars, quae se gravatam putet, ius habent recurandi ad superius tribunal, sed tantummodo prolatis novis et gravibus argumentis, quae etiam praesto sint. Huiusmodi argumenta debent exhiberi tribunali tertii gradus intra mensem ab interpositione recursus.

§ 5. Defensor vinculi tertii gradus potest a recursu recedere: quo in causa tribunal declarat litem finitam. Si autem pars recurrit, tribunal, perpensis argumentis allatis, vel recursum reicit per decretum, vel causam admittit ad examen tertii gradus.

*Can. 1988*

Quando sententia nullitatis exsecutioni mandatur, ad normam can. 1986 § 3, praeses tribunalis debet eandem decisionem notificare Ordinario loci in quo matrimonium celebratum est. Is autem curare tenetur ut quantocius de decreta nullitate matrimonii et de vetitis forte statutis in libris tum matrimoniorum tum baptizatorum mentio fiat.

#### ART. VII – *De processu matrimoniali summario*

*Can. 1990*

Cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de existentia impedimenti dirimentis, simulque pari certitudine apparuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus in iure recensitis, poterit Ordinarius, citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi, matrimonii nullitatem declarare.

*Can. 1990 bis*

Item sub iisdem clausulis et eodem modo de quibus in can. 1990, Ordinarius matrimonii nullitatem declarare poterit, quando causa mota sit ex defectu formae canonicae vel ex defectu mandati procuratoris.

*Can. 1991*

Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimaverit impedimenta de quibus in cann. 1990 et 1990 bis non esse certa aut dispensationem super eisdem probabiliter intercessisse, provocare tenetur ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu speciali.

*Can. 1992*

Iudex alterius instantiae, cum solo interventu defensoris vinculi, decernet eodem modo de quo in can. 1990 utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.

*Can. 1992 bis*

Salvis praescriptis canonum huius tituli, in processibus matrimonialibus applicandi sunt, nisi rei natura obstet, cann. 1552-1705 et 1706-1924, servatis specialibus normis de causis quae ad bonum publicum spectant.